

FRANCISCI PITHOEI TUMULUS.

FRANCISCO PITHOEO, PETRI FILIO, PETRI FRATRI; JURISCONSULTO, ET IN REGIA NAVARRÆ SUPPLICUM LIBELLORUM MAGISTRO; COLLEGII TRECENSIS FUNDATORI: VIRO OMNIBUS INGENII ANIMIQUE DOTIBUS PRÆCLARO: SUMMO ANTIQUITATIS OMNIS SACRÆ, PROFANÆ, GALLICÆ, EXOTICÆ ADMIRATORI, INDAGATORI, VINDICI; AD QUAM ETIAM ET RECTE MORES FORMARI, ET ANIMOS TUTISSIME DIRIGI NON VANE SIBI PERSUASERAT ET FECERAT: OB QUAS VIRTUTES A CHRISTIANISSIMO FORTISSIMOQUE REGE HENRICO QUARTO, CUM EXTRA ORDINEM IN DEPECULATORES JUDICIA EXERCERENTUR, PROCURATOR GENERALIS, ET IN COLLATIONE INTER DAVIDEM PERRONIUM EPISCOPUM EBROICENSEM, ET MORNEUM PLESSEUM COGNITOR ELECTUS. DEINDE, CUM DE REGNI FINIBUS, CUM ARCHIDUCE BELGA REGUNDIS, AGERETUR, INTER DELEGATOS REGIOS, QUI CUM ARCHIDUCIS DELEGATIS IN REM PRÆSENTEM VENIRENT, ET ANTIQUOS LIMITES RECOGNOSCERENT, ADSRIPTUS EST. HUIC LICET AD SEMPITERNAM MEMORIAM DOCTISSIMA SCRIPTA, QUÆ PUBLICA FECIT, SUFFICIENT; EJUSQUE MODESTIAM, QUOD IN ILLIS NOMEN SUUM INSCRIBI NON PASSUS EST, PRÆDICENT: AMICUS TAMEN SINGULARIS, ET SUPREMÆ VOLUNTATIS VINDEIX, ANTONIUS ALLENUS IN PRÆFECTURA TRICASINA CONSILIARIUS REGIUS HANC TESTIMONII FIDEM VIRO MAXIMO, BENE DE STUDIIS, BENE DE REPUBLICA MERITO, DEBITAM AD POSTEROS TRANSMITTI, PROPAGARIQUE HOC MONUMENTO CURAVIT.

VIXIT ANNOS LXXVII. MENSES IV. DIES XVII. OBIIT
VII. KAL. FEB. ANNI M. DC. XXI.

CONCORDIA

CONCORDIA DISCORDANTIUM CANONUM.

PARS PRIMA.

DE JURE .a. DIVINO ET HUMANO. DISTINCTIO I.

GRATIAN. 1. Part. 22
circa ann. 1150. in Italia. 22
a Matth. 7. 22

HUMANUM genus duobus regitur, Naturali videlicet Jure, & Moribus. Jus Naturale est, quod in Lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri. Unde Christus in Evangelio .a. Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hac est enim Lex & Prophetæ. Hinc ait

CORRECTORES ROMANI. a De Jure.] Hoc loco in manuscriptis codicibus magna est varietas. Nam partim nulla est hoc loco inscriptio; partim vero legitur: De Jure scripto & non scripto, & quod cui proponatur, & Legum Autoribus, & duorum malorum electione, sive dispensatione. Aut: Ac primum de Jure Constitutionis Naturæ, Divinæ & Humanae. Aut: De Jure Naturæ, & Humana Constitutionis; quam Dominicus de Geminiano agnoscit, & extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut: De Jure Naturæ & Constitutionis; quæ inscriptio maximè videtur convenire tractationi Gratiani, qui sæpe ad hæc capita revertitur, ut initio dist. 5. 7. 8. 15. Et xi. q. 1. c. si qua causæ, hunc totum locum indicans scribit: Requiritur in principio, ubi differentia signatur inter Jus Naturale, & Jus Constitutionis. Verumtamen in hac tanta varietate, quæ, ut alia conjectura mittantur, argumentum esse potest nullam hic à Gratiano ipso positam esse rubricam, satis visum est, retenta vulgata lectione, ceteras indicare.

CANON I. ISIDORUS lib. 5. Etymologiarum cap. 2. [circa ann. Chr. 630. in Hispania.]

Divinae Leges Naturæ, Humanae Moribus constant.

OMNES Leges aut Divinæ sunt, aut Humanae. Divinæ Naturæ, Humanae Moribus constant: ideoque hæc discrepant, quoniam alia aliis Gentibus placent.

§. 1. Fas Lex Divina est: Jus Lex Humana. Transire per agrum alienum b fas est, a jus non est.

b per alienum, in Isidor. manuscr.

CONTIUS.] Isidorus cognomento Junior, (ex cujus scriptis magna hujus Libri pars confarctata est) Spalensis sive Ispalensis civitatis Hispaniæ Episcopus, claruit vitæ & scriptis tempore Sileburi Gothorum Regis, circa ann. Christi DCXXXV. ut adnotatum reperit in initio librorum ejus de Differentiis rerum, &c. vir bonus, & sui temporis ferè doctissimus, quamvis derisores quidam aliter sentiant.

PITHOEI.] S. Augustinus lib. 4. Quest. in Numer. c. 24. q. 44. Innoxius transitus negabatur, qui jure humane societatis æquissimo patere debebat.

GRATIAN. 22
22
22
22

Ex verbis hujus autoritatis evidenter datur intelligi, in quo differant inter se Lex Divina & Humana; cum omne quod fas est, nomine Divinæ vel Naturalis Legis accipitur: nomine vero Legis Humanae Jure conscripti & traditi intelligantur. §. 1. Est autem Jus, generale nomen, multas sub se continens species. Unde

II. IDEM eod. lib. cap. 3. [circa ann. Chr. 630. ibid.]

Jus genus, Lex autem species est.

Jus, generale nomen est: Lex autem Juris est species. Jus autem est dictum, quia justum est. Omne autem Jus Legibus & Moribus constat.

III. IDEM eod. [circa ann. 630. ibid.]

Quid sit Lex.

Lex est Constitutio scripta.

Pars I.

CONTIUS.] Generalius accipit quam Justinianus Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ. §. lex. ut & Papinian. l. 1. §. 2. ff. de Legib. Nam hæc definitio complectitur Plebiscita, Leges Consulares, Dictatorias, Senatufconsultas, Magistratum Edicta, Principum Constitutiones, Prudentum Responso scripta.

IV. ISIDORUS lib. 5. Etym. cap. 3. [circa ann. 630. in Hispania.]

Quid sit Mos.

Mos .a. est longa Consuetudo de Moribus tantummodo tractata. Ivo part. 4. cap. 200. tantumdem, in origin. manuscr. & Mos est vetustate probata Consuetudo, sive Lex non scripta. Nam Lex à legendo vocata est, quia scripta est, aliquot Gratiani.

CORR. ROM. a Mor.] Apud Isidorum hæc antecedunt: Mos est vetustate probata Consuetudo, sive Lex non scripta. Nam Lex à legendo vocata est, quia scripta est, Mos autem longa Consuetudo est, &c.

V. IDEM eod. [circa ann. 630. ibid.]

Quid sit Consuetudo.

Consuetudo .a. autem est Jus quoddam Moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. §. 1. Nec differt, an scriptura, an ratione consistat, quando & Legem ratio commendat. §. 2. Porro si ratione Lex constat, Lex erit omne jam quod ratione consistit, dumtaxat, quod religioni conveniat, quod disciplina congruat, quod saluti proficiat. §. 3. Vocatur autem Consuetudo, quia in communi est-usu.

CUM itaque dicitur: Non differt utrum Consuetudo scriptura vel ratione consistat; apparet quod Consuetudo est partim redacta in scriptis, partim moribus tantum utentium est reservata. Quæ in scriptis redacta est, Constitutio sive Jus vocatur: quæ vero in scriptis redacta non est, generali nomine Consuetudo videlicet appellatur. §. 1. Est autem & alia divisio Juris, ut testatur ita dicens

VI. IDEM eod. lib. cap. 4. [circa ann. Chr. 630. ibid.]

Quæ sint species Juris.

Jus .a. autem aut Naturale est, aut Civile, aut Gentium.

VII. IDEM eod. [c. ann. Chr. 630. ibid.]

Quid sit Jus Naturale.

Jus Naturale est commune omnium Nationum, eo quod ubique instinctu Naturæ, non Constitutione aliqua habetur: ut viri & feminae conjunctio, liberorum successio .a. & educatio, communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum que celo, terrâ, marique capiuntur, item deposita rei, vel commendata pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. §. 1. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur.

CORR. ROM. a Successio.] In tribus codicibus manuscriptorum Isidori, & aliquot Gratiani, legitur: liberorum suscipio & educatio: que lectio convenit cum l. 1. ff. de Justit. & Jere. 8. hinc descendit.

VIII. IDEM eod. lib. cap. 5. [circa ann. 630. ibid.]

Quid sit Jus Civile.

Jus Civile est, quod quisque Populus, vel quæque Civitas sibi proprium Divinam Humanamque causâ constituit.

IX. IDEM eod. lib. c. 6. [c. a. 630. ibid.]

Quid sit Jus Gentium.

Jus Gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, pa-

GRATIAN. 22
22
22
22

Quando in simpliciter, ut ex more statuitur: sed si Consuetudo publica auctoritate in scriptis redigitur & autoratur, ne subditur an alia probatione opus sit, nihilominus Consuetudo est. Jus aut Naturale, orig. & aliquot Gratiani codices.

h. a. commodata restitutio.